Copie de lettres
A Aemilius Portus

De Dionysio tuo quae Wechelijs meis significasti, placuere et ipsis et mihi. Quorum docti
Itaque tibi prela sua et operam ad eius editionem offerunt. In quo etsi nos quoque
aliquid elaboraverimus, tamen cum tu tanto tempore tantaque diligentia illud opus tractaveris,
nec dubium sit quin praeclaram in eo navaveris operam, parati sunt etiam mei in tam
nobilis scriptoris lucubrationem è sua officina in lucem emittere, idque ea dili-
gentia quae et tibi et doctis omnibus, quod ad sinceri[tatem] fieri poterit, placitura sit. Porro an
Graeci textus à nobis quoque non sine magno labore ac studio sit edita
dubitare an nova eius editione sit opus futurum. consultius fore putarem
si versio tua cum annotationibus tuis seorsim excudatur, ea forma et eo
charactere qui ad hanc rem videbitur aptissimus: cum enim multa nostrae editionis
exemplaria iam sint vendita, gravarentur emptores eundem denuo, nec fortasse
in multis discrepantem, sed Graecae ac Latinae versionem novam cum Annot. nomine
ex eadem officina depromere mallent quam ... dividere poterit. Et vel
saltem nomini nostrae potius quam alij cuipiam officinae hanc provinciam
demandare deberet. Ad tempus editionis quod attinet, non est quod moram
diuturnam verearis: sed hoc certo polliceri possumus, simulatque tua ad nos
pervenerint, manum operi admotum iri, quae si per vectatorem aliquem ad
nos hac nundinis misisses, proxima in lucem exijssent, si Argentora-
tum ad mercatum mittas, difficulter erit tam exiguo temporis spatio absolvi, faciemus
tamen quod poterimus. Laboris praemium quia ipse non definisti, nec
est à nobis quicquam de illo decerni, tu quod aequum fore videbitur, pos-
poteris, habita non tam privatae quam publicae utilitatis ratione, nam
et nos iam diu non exiguos in nostram editionem sumptus fecimus, et
privata commoda publicis non minima ex parte postposuimus. De
paternis quoque commentarijs edere nos poteris, quantae quoque molis sint
futuri, et quibus editionibus eos edi à nobis velis, doce potissimum
quae in Homerum, Thucydidem et Arist. Rhetoricam conscripsit. Sed
illos aggrediamur, prius Dionysij editione studium nostrum tibi probabimus
ex quo de reliqua editione iudicium facere queat. Haec sunt quae Wechelij ad
tibi rescribenda censuerunt, ac simul plurimam tibi salutem ac valetu-
dinem. Ego quoque ut patrem tuum colui, atque etiamnum veneror ob singularem doc-
trinam humanitatemque maximam, ita te quoque paternarum virtutum heredem, qua par
benevolentia prosequor, nec quicquam officij quod in mea sit viribus, a te
in me desiderari patiar. Vale et primo quoque tempore ad nos rescribe.
Francof. 3. non. Apr. 1586.

Fried. Sylburg.

Sylburgius.